

Ernst Johann Friedrich Mantzel

**D. Ern. Jo. Frid. Mantzel, Jvr. Doct. Et Prof. Ord. Atqve Ad. h. a. Decani,
Programma Invitatorivm, Ad Dispvttationem Inavgvralem ... Dn. Joach. Christ.
Kedingii, Gvstrov. Jvrivm Candidati Dignissimi De Limitibvs Jvstitiæ, Æqvitatıs,
Jvrıs Aggratiandi Et Arbitrii Jvdicıs. Die Aprilıs MDCCXXXVIII ... In Academia
Rostochiensi Pvblicatarvm**

Rostochii: Typıs Joh. Jacobi Adleri, [1738]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002342961>

Druck Freier  Zugang




RU jurist. April.1738

~~Keding, Christ.~~

Mantzel, Ernst Johann Friedrich

/b.1

/b.2





1700. Apr.

13

D. ERN. JO. FRID. *Wangeln*,
JVR. DOCT. ET PROF. ORD. ATQVE AD
h. a. DECANI,

PROGRAMMA
INVITATORIVM,

AD
DISPVATIONEM INAVGVRALEM
VIRI PRÆNOBILISS. ATQ. DOCTISIMI,
DN. JOACH. CHRIST. KEDINGII,
GVSTROV, JVRIVM CANDIDATI DIGNISSIMI

DE
LIMITIBVS JUSTITIÆ,
ÆQVITATIS, JVRIS AGGRA-
TIANDI ET ARBITRII JVDICIS.

DIE APRILIS MDCCXXXVIII,
H. L. Q. C.

DEO GRATIA SVA ASSISTENTE VENTILANDAM,
EMISSVM

COLLEGII JURIDICI NOMINE,

DIRECTVM AD


MAGNIFICVM DN. RECTOREM ET O. O. O.
PROMOTORES, FAVTORES ATQVE AMICOS
BONARVM ARTIVM, RECENSENSQVE
SEMI-CENTVRIAM QVARTAM

DISPVATIONVM INAVGVRALIVM JVRIDICARVM,

IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI PVBLICATARVM.

ROSTOCHII,

Typis JOH. JACOBI ADLERI, SERENISS. PRINCIPIS
& ACAD. Typographi,



uam mihi *Prænob.* atque *literatissimus* Dn. *Candidatus KEDINGIVS* dat scribendi occasionem, eam gratissimam mihi esse sino; *Lubentissime* enim virtutis præconium in me recipio & amoris mei, erga *Auditorem indefessum*, domesticum olim *modestissimum* atque cognatum *humanissimum*, testimonia expono. Dabo specialia, modo ante, ad continuandum recensum disputationum inauguralium *juridicarum*, pro tempore *femi-centuriam novam* enarraverim.

Nemo ægre ferat tumultuariam hanc meam operam, nec dicat, me potuisse meliori uti ordine; Nam si putaverit, dari hujus laboris fontem in *Archivo* quodam *Facultatis*, errat haud leviter. Habemus equidem quandam *Collegii matriculam*, sed, ut taceam, eandem incipere demum cum anno 1584, annotationes non sunt tales ubique, quales esse debebant. *Multæ* *centuriæ* *Doctorum* & *Licentiatorum Juris*, hic creatorum, possunt numerari, sed liber ille pauciores, quantum ad annos superiores, recenset, & quasnam habuerint

rint disputationes inaugurales, etiam novioribus, non semper adscriptum legitur. Hinc ex successivis collectionibus propriis, quas, forte contemnenda curiositate, facio, notitiam plurimarum mihi comparare debui. Accedit, quod nullas in censum referre constituerim, nisi quas ipse vidi, imo quas possideo. Detur ergo venia huic meæ voluptati, qua, si nemini prodest, tamen nulli etiam noceo; Et si qui sunt, qui possident vetusta quædam folia, quibus pretium non adeo magnum statuunt, concedant, quæso, mihi tales minutias, ego pretio affectionis illas æstimare soleo.

En novam semicenturiam, quæ centuriam secundam completam facit; Disputarunt enim

Præsides B. Henr. CAMERARIO,

Anno 1587. *Barthold. Kichler, Brunsv. de usu capionibus & præscriptionibus.*

- - 1590. *Jac. Hein, Rostoch. de Emptione venditione,*
- - 1596. *Christoph von Hagen, de Pactis & transactionibus.*

Præsides B. Barthol. CLINGIO,

Anno 1605. *Thom. Lindemann, Hervord. de Jurisdictione & Imperio.*

Præsides B. Hajone a NESSA,

- - 1606. *Frid. Korfey, Lemgov. de Rei vindicatione.*

Præsides B. Nic. SCHUTZIO,

Anno 1633. *Henr. Rahne, Brunsv. de Usuris.*

- - *Henr. Sultemann, Rostoch. de Pactis.*
- - *Eberh. Schnell, Frisius, de Advocatis.*
- - 1637. *Albert. Willebrand, Rostoch. de Mora.*
- - 1647. *Jo. Christoph von Hillen, Gustrov. ad L. sancimus, fin. C. de Reb. alien.*

Præsides B. Henr. SCHVCKMANNNO,

Anno 1641. *Joach. Schnobel, Soliqu. March. de Transactionibus.*

) (2

Anno

Anno 1644. *Nic. Bald. Blanckefort, Osnabr.* de Rescindenda venditione.

- 1648. *Jo. Adolph. Barckhausen, Westph.* de Actionibus.

- 1649. *Henr. Schnittler, Rostoch.* de sequestratione.

- 1653. *Dan. Conradi, Ulz, Luneb.* de Publicis Judiciis.

- 1654. *Jo. Henningius, Chilon.* de Triplici in jure consensu.

Præsides B. *Henr. RAHNIO,*

Anno 1650. *Jo. Christoph. Hufwedel, Franc.* de Bonis liberorum.

- 1651. *Luc. Conr. Schafshansen, Witteberg.* de Finibus regundis.

- 1656. *Christ. Klein, Rostoch.* de Concursu actionum.

- 1657. *Joach. Frid. Carstens, Lubec.* de Decretis in contractibus minorum.

Præsides B. *Georg. RADOVIO,*

Anno 1674. *Ja. Joach. Tielke, Rostoch.* ad reg. agere non valenti non currit præscriptio.

- 1676. *Jo. Christoph. Schröder, Wismar.* de præscriptione delictorum.

- *Sim. Andr. Stemmwede, Sverin.* de Horreis publicis.

Præsides B. *Henr. Rud. REDEKERO,*

An. 1678. *Jo. Knegendort, Gustrov.* de actionibus in rem.

- 1680. *Frid. Amfel, Rostoch.* de Quæstionibus & tortura reorum.

Præsides B. *Andr. AMSELIO,*

Anno 1684. *Joh. Crause, Rostoch.* de Collectis.

Præsides B. *Christoph. REDEKERO,*

Anno 1691. *Jo. von Zesterfleth, Bremens.* de decimis laicorum in terris protestantium, Præ-

Præsides Dn. *Joach. Henr. SIBRANDO*,

Anno 1718. *Egbert Wolff, Rostoch.* de juribus singularibus, circa successione[m] legitimam, in bonis Hamburgensium.

1719. *Dan. Christoph. Ehrentin, Criviz.* de Felonia dubia.

1720. *Georg. Frid. Amsel, Sverin.* de eo quod justum est circa testimonia mulierum.

1722. *Petr. Dreesen, Dithmars.* de foro clericorum privilegiato.

1723. *Ott. Job. Voff, Rostoch.* de Differentia inter sponsam & uxorem.

1724. *Gerb. Hinr. Carstens, Lubec.* de JCtis circa decisionem casuum in materia successione[m] ab intestato errantibus.

1725. *Ern. Gottl. Schræder, Sverin.* super decades duas jurium singularium.

1725. *Georg. Wilh. Detharding, Rostoch.* de necessaria vulnerum inspectione in crimine homicidii.

Præsides Dn. *Jacobo CARMON*,

Anno 1721. *Georg. Seitze, Meckl.* de Retentione mercedis famuli, domino permessa.

1729. *Matth. Ben. Hering, Colberg.* de orthodoxia Jure - Consultorum.

Christ. Lud. Taddel, Rostoch. de Intimatione per rebellionem privata.

1731. *Jac. Joach. Lemme, Neostad.* de Pactis inter creditorem & debitorem invalidis.

Christ. Ant. Mantzel, Meckl. ad reg. Frustra leges invocat, qui contra leges committit.

1733. *Joach. Frid. Taddel, Rostoch.* de Abdicatione liberorum secundum Jus Civile, mores Germ. & Jus Lubecense.

Herm. Burmester, Hamburg. de Repudio propter errorem in bonis fortunæ.

X 3

Christ.

- - *Christoph. Henr. Berner, Sverin.* de remediis suspensivis ordinariis in Megapoli consuetis.
- - *Matth. Abrab. Burmeister, Rostoch* de diverso hypothecarum Jure, ad Constit. Meckl.
- - 1734. *Jo. Georg. Burgmann, Rostoch*, de præsumto ordine mortalitatis commorientium in linea recta.
- - *Jo. Hinr. Eggerdes, Rostoch*, de Separatione bonorum in creditorum concursu ad quinquennium non restricta.
- - *Gottl. Frid. Lindenberg, Lubec.* de Intercessione feminarum pro capite damnatis.
- - *Laur. Hausmann, Lubec.* de Dominio.
- - 1736. *Amand. Christ. Dorn, Parchim.* de Jurisdictione in Legatos eorumque comites.
- - *Jo. Christ. Weber, Meckl.* de Libero juris sui usu.

Hæc sunt antiquiora & præterita quæ tibi, gratiose Lector! destinaveram; Ad novissima literaria Rostochiensia spectat disputatio inauguralis mei Kedingii, cujus vitæ curriculum sequens est.

Nascebatur idem in celeberrima ad Nebelam Urbe Mecklenburgica, Gustrovia, Anno MDCCXIV. die 2. Augusti. PATREM adhuc per Dei gratiam viventem veneratur, Virum annis & meritis gravem, Prænob. atque prudentissimum Dominum CHRISTIANVM REDINS, Senatorem dictæ urbis florentissimæ meritissimum, Fautorem & Affinem meum venerabilem; MATREM habuit, eheu habuit, nam mors præmatura eandem abripuit, feminam quondam prænob. atque virtuosissimam, Dn. MARGARETHAM ELISABETHAM BEREN, filiam B. Dn. JOACHIMI BEREN, Jcti celeberrimi & Syndici de patria civitate præclarissime meriti. vid. *B. Thomas in Anal.*
Gu-

Gustrov. Catal. biogr. p. 162. Sororem Viri Illustris & inclyti Dn. JOACHIMI CHRISTOPHORI **BZERNI**, Assessoris illustrissimi Judicii Aulico-Provincialis Mecklenburgici, & Consulis Gustavoviensis spectabilissimi atque meritorissimi.


His parentibus fatus meus Dominus Doctorandus, a teneris unguiculis in pietate & doctrinis ætatem decorantibus fuit instructus. Adultior factus commissus est fidelissimæ institutioni celeberrimorum Viro- rum de Gymnasio Gustavoviensi meritissimorum, Dn. M. Davidis RICHTERI, Rectoris, Dn. Davidis SANDOVII. Con-Rectoris & Dn. Caroli CRIVITZII, Sub-Rectoris, Fautorum & Amicorum meorum honoratissimorum.


Bene præparatus venit in hanc Academiam Anno 1732. & meæ ceu mihi domesticus, & consalinus oculissimus, curæ specialiter concreditus, ita inter cives nostros ultra biennium versatus est, ut exemplum modestiæ, humanitatis & diligentiæ omnibus præbuerit. Nullo evitavit labores studiosum formantes: Audivit me docentem assiduus, respondit examinanti exporrectus, disputavit inter commilitones promptus, id quod inter alia documenta testatur meum Programma *de forma reip. literariæ ochlocratica*. His exantlatis, suavis ipse fui, ut ad alias Academias excurreret; Petiit igitur Jenam, ubi audivit in Juridicis Civilibus & feudalibus Viros celebratissimos, Dn. D. STRUVIUM, B. Dn. D. BRUNQUELL, & Dn. D. MOTERUM; In philosophicis usus fuit præceptis institutisque Celeb. Dn. M. CARPOVII, jam Rectoris Vinariensis solidissimi. Perrexit Halam, usus ibidem est Præceptoribus magnis, viris illustribus & inclytis, Domino BOEHMERO, Domino HEINECCIO, Dn. SCHMEI-


SCHMEIZELIO & Dn. WIDEBURGIO; Consumto
in tribus dictis Academiis quinquennio, ad Doctoratum
juridicum olim religiose requisito, rediit in patriam &
vivam praxin observavit penes Fautorem & Hospitem
suum pretiosissimum, Virum Prænobilissimum atq; con-
sultissimum Dn. Doctorem KRAFFTEN, Syndicum Gu-
stroviensem meritissimum & Causarum Patronum con-
summatissimum Fautorem meum colendisimum. Sic
toto legitimo opere perfecto brabeum postulabat do-
ctorale, & mea Facultas de tali Candidato sibi gra-
tulatur; Testes enim sumus, quod egregie suam
vitam academicam transegerit. Loquetur amplius
res ipsa, quando in Auditorio publico defendet disputa-
tionem inauguralem haud parum ingeniose conscrip-
tam & mihi ceu ad prelum adaptatam transmissam, de
Limitibus Justitiæ, æquitatis, juris aggratiandi & arbitrii
judicis. Veniant igitur, si non mille, tamen aliquot
centuriæ Auditorum & testium; Ducat chorum MA-
GNIFICVS DOMINVS RECTOR: sequantur O. O. O.
VIRI CELEBERRIMI: Adsint DOMINI STVDIOSI
ornatissimi. Meus Dominus Candidatus, meus Ocel-
lus Kedingius, mecum in id allaborabit, ut neminem sui
favoris & amoris pœniteat.

P. P. sub Sigillo Facultatis Juridicæ
An. MDCCXXXVIII, d. Aprilis.









ÆNOBILISSIMO ATQVE
CONSULTISSIMO,
DOMINO
CHRIST. KEDINGEN,
RIVSQUE DOCTORANDO,
C AMICO SVO HONORATISSIMO,
D, QUÆVIS FELICIA APPRECATVR
CHRIST. DIET. DOHSE.

erte & fat grave fuscipis negotium,
ssime Domine Doctorande! dum ad
ionem tuam inauguralem selegisti
dubiis involuta est maximis; Cau-
cumspiciendum erit, ne summæ
æ, secundum Leges nobis revela-
s, vel adversus imperantes L. 5. C.
violati obsequii neglectæque re-
im incurras. Dubia & incerta
genere Jurisprudentia nostra, &
avis fere juris materia Judici po-
; Utere itaque in ambiguitatibus
s, tam theoreticis quam practicis,
; Et, quia nullum mihi remanet
sale & pipere fatis perfricatum fit
e tuum academicum; Limites er-
quos regali juris aggratiandi, cum
um, in illo posuisti, mascule ut de-
modo tibi finas moveri, firmiter
habeo. Merito igitur tali legum
do-